motus cessavit, motusque *Solis* cœlum rarefecit, quo ipse interim *Sol* continuo ventilatur & rarefit. Atque is est universi hujus *motus continuus*, qui nisi vim ab ipso *Creatore* patiatur extraordinariam, nunquam ab ordine aut officio desistit. N. 9.

Etsi vero me non lateat, multos opinioni meæ refragaturos, levi tamen opera evincere & demonstrare potero, tam veteres quam quosdam cordatiores Neotericos Philosophos opinionis meæ fuisse, quid enim Veterum *spatium* illud *vastissimum imaginarium* aliud, nisi universi hujus *continens* denotat? doctrina de *loco* & *motu*, commodius ex hac opinione, quam vel per *vacuum* aut *atomos*, aut nescio quas alias *ideas & loca* explicatur. Deinde cur Neotericorum aliqui inter *æthera* & *aërem* distinguunt? posteriori *Physicas*, priori *Hyperphysicas* qualitates adscribentes. Non pauci cœlo *animam, spiritum* alii attribuerunt, adducti eo, quod cœlum perpetua *raritatis* & densitatis *vicissitudine* agitari, & mox *majus*, subinde minus *spatium* occupans, quasi *respirare*, consideraverint. Cœlum enim hoc in Deo consistit; in cœlo vero omnia creata, tanquam *loco*, quo, ut prima *causa movente*, ad omnes *motus Physicos* afficiuntur, quiescunt: prout hæc omnia, si nostri instituti foret, sufficientissimis *rationibus*, & infallibilibus *experimentis* evincere possemus. Nos heic loci brevitati studemus, qui ex præcedentibus nullum alium fructum desideramus, quam ut lector, cum in subsequentibus rarefactionis ac condensationis sæpius mentio fiat, originem sciat, unde hæc omnia proveniunt. Licet enim omnes tales *Physici motus*, ex postfacto Naturales dicantur, omnes tamen a *cœlo* procedere, idque in tot infinitis quasi raritatis & densitatis gradibus, singulari *divina providentia dirigi*, & certo ordine *contineri*, certissimum est. N. 10. N. 11. N. 12.

Sectionis primæ Caput secundum

De Creatione terræ.

SYNOPSIS.

N. 1. *Duplex terra exponitur, cujus in primo capite Geneseos mentio fit.* N. 2. *Relatio terræ ad cœlum.* N. 3. *quid sub terræ nomine intelligatur.* N. 4 *Globi terr-aqueæ-aërei natura.* N. 5. *de statu globi terr-aque-aërei in creatione.* N. 6 *cur terra post cœlum creata sit?* N. 7. *triplicitas terræ.* N. 8. *cur aër & aqua sub terræ nomine comprehendantur.* N. 9. *de spatio terræ in creatione.* N. 10. *Panspermia, & quo sensu terra confusa fuisse dicatur, & quotuplex fuerit.* N. 11. *primordialis corporum differentia.* N. 12. *Utrum de facto Chaos exstet.* N. 13. *Quid sit quinta mundi essentia.*

TEXTUS.

N. 1. UT *Cœlum* in creatione tanquam *primum* mundi principium, & *Elementum* præcedit; ita *Terra* ut *alterum*, sed pure Physicum sequitur. Non autem illa *terra* est, de qua textus in eodem capite versiculo decimo habet: *Et vocavit Deus Aridum, terram, congregationesque aquarum Maria, &c.* Hæc enim *terra* ob *separationem* dunta-

xat